



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Archiepiscopus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

durante ostendit restat Vicarius ipse Archidiaconus, de jure communi. Secundò institutio ad beneficia juris patronatus, per *d. capit. ad hęc, ver. in quadam* sed hodie non habent ipsi Archidiaconi: nam de consuetudine pertinet ad Episcopum, *cap. licet Episcopus, de prob. lib. 6. Covar. lib. 5. c. 16. num. 8. §. tertius, var. resol. §. c. ex inuncto, in fi. de scrut. & Dyn. in c. 1. num. 4. de reg. jur. lib. 6.* sed ad dictum *c. ad hoc.* potest dici, institutionem ibi sumi, pro in possessionem missionem, quæ competit Archidiacono de jure, prout *gl. & Dyn. in d. c.* Tertio Archidiaconi præcedit Vicarius generalis Episcopi, vide *in ver. Vicarius concl. 15.* Quartò, nec causas matrimoniales, nec criminales, ut antea, per *c. licet, de pœn. Cõc. Trid. sess. 24. c. 20. §. ad hęc de refor.* Quintò, nec causas concubitus, *Conc. Trid. sess. 25. c. 14. de refor.* Sextò & quod dicitur de Archidiacono, idẽ dici potest de Decanis, & aliis dignitatibus inferioribus Episcopo, *Conc. Trid. loc. cit.* & licet de jure habeant jurisdictionẽ, non tamẽ in actu, per consuetudinem, *Gram. decis. 64. n. 23. §. 4.* cætera remanent in robore suo nisi per contrariam consuetudinem divisorum locorum sint eis ablata, *argum. c. 1. de rescrip. lib. 6.*

## ALTERNATIVA.

**P**rimò quoad beneficia; vide *in ver. beneficium, §. 2. fol. 4. & in ver. derogatio,* ubi habes quomodo prælati gaudeant alternativa.

Secundò, quando alternativæ dictiones non ponantur disjunctivè, sed augmentativè, vel declarativè, vide *in ver.*

*beneficium, §. 8. Concil. quarto, & Gomet. in capitul. statutum, num. 23. & 43. de rescrip. libro sexto.* Vide *Gemin. in capit. generali, notab. ult.* ex Archidiacon. *de elect. lib. 6.* ubi ait dictionem *sive,* aut *vel,* quando ponitur inter diversas voces, idem tamen significantes, exponi, pro *id est,* *Gl. in c. bona, de postul. prælat. eodem lib.*

Tertio, quando in alternativis sufficiat alterum tantum probari, vide *c. inter ceteras,* & ibi *Doct. de rescrip. Staph. de lit. grat. fol. 25. num. 5. & fol. 309. num. 2. gl. in c. ex parte, il primo, in ver. perpetuo, de rescrip. decis. Rot. 7. de rescrip. in novis,* & ibi addit, *c. in alternativis, & c. locupletari, de reg. jur. lib. 6.* & ibi *Dyn.*

Quartò, an in prælatibus inferioribus Episcopis, habentibus potestatem conferendi beneficia, prout dixi *in ver. beneficium, §. 2. fallen. 7.* habeat locum alternativa? Videtur quòd sic, quia si ligat majores, & minores ligare debet, & valet argumentum à majori ad minus, *Staph. fol. 190. numer. 6. & in præfatione lit. grat. n. 20. & 21. gl. in c. 1. in ver. Episcoporum,* & ibi *Gem. de temp. ordin. lib. 6.*

## ARCHIEPISCOPUS.

## SUMMARIUM.

1. Quod jus habeat in suffraganeos suos.
2. An possit exercere pontificalia intra provinciam suam.

**A**D Primum. Vide multa quæ dicuntur *in ver. appellatio,* & quæ dicit *gl. in c. pastoralis, de offic. ordin.* tamen dico; primò quòd Archiepiscopus est iudex ordinarius suorum suffraganeorum

rum, gloss. cit. in ver. *inuitum*. Covar. *pract. quest. cap. 10. initio, ver. eadem ratione*, ubi ex mente Innocentii, Abbas, & Alciati concludit posse Archiepiscopum cogere suos suffraganeos ad agendum quicquid de jure facere debeant, ut Judex cogit suos subditos justitia mediante. Secundò, ad Archiepiscopum devolvitur collatio beneficiorum non collatorum à suis suffraganeis infra semestre: nam ipse Archiepiscopus habet aliud semestre, & sic gradatim ad Primatem, ad Patriarcham, ultimò ad Papam, Abb. in c. *secundo, de concess. prab. num. 7.* facit, c. *licet, de supp. negl. pralat.* similiter & de institutionibus juris patronatus, *decis. Rot. 4. de jure patr. in novis. Selva. tract. de benef. 3. par. quest. 64. nu. 3.* Tertio, circa suffraganeos, sufficit dicere, quòd Archiepiscopus sit eorum judex ordinarius, eos etiam potest excommunicare, suspendere, & interdicitur succedente casu, gloss. in c. *de iis, tertio, 12. distin.* vide Concilium Antioch. *can. 14. & 15.* & Abb. in c. *postulatis, num. 11. de cler. excom.* Quarto, subditorum suffraganeorum Archiepiscopus non est judex, nisi appellationum, & sic non potest avocare causas à suis suffraganeis, Covar. *pract. quest. capit. 9. num. 10.* & dicam, in ver. *appellatio*. Hostien. in *sum. tit. de offic. ordin. §. sunt autem distincta, num. 7.*

Ad secundum, Respondetur, primò negativè, per Concil. Trid. *sess. 6. cap. 5. de refor.* & licet videatur loqui de Episcopis, tamen intelligitur etiam de Archiepiscopis, gloss. in c. *1. in 2. notab. de offic. ordin. lib. 6.* Covar. *loc. cit. c. 9. num. 2.* & Felin. in d. c. *pastoralis, col. ult. gloss. in*

*Clem. fin. in ver. etiam celebrare, de privileg.* dicit quis quòd hoc videtur repugnare, *cap. 1. & cum similibus, de auct. & usu pal.* ubi habetur, Archiepiscopum posse uti pallio in tota provincia: ad hoc respondetur. Primò, illud procedere de jure antiquo, quando Archiepiscopi visitabant totam provinciam, prout in *capitulo primo, de cen. libro sexto.* & tunc exercebant pontificalia in tota provincia: nunc verò secus de jure novissimo, facit quod dicitur *cap. 1. de auctor. & usu pal.* in illis verbis (*ubicumque*) quod exponens Hostien. in *sum. eod. titulo, §. quo loco, numero sexto,* ubicumque, id est, in loco competenti. Secundò, respondetur, quòd intelligitur, quando de licentia sui suffraganei sic exercet Pontificalia intra suam provinciam, ut posset uti pallio, prout patet per superius allegata, & hodie requiritur expressa licentia, nec sufficit tacita, prout verba Concilii sonant. Tertio, non tamen prohibetur Archiepiscopum posse exercere pontificalia in locis exemptis, existentibus intra suam provinciam, etiam sine licentia Episcopi, intra cujus territorium, sive diocesim est situs ille locus exemptus, per *Clem. Episcopalem, de privileg.* ratio est, quia à jure antiquo non est recedendum, nisi, &c. Sed locus exemptus non dicitur de diocesi, prout multis Doctoribus probat Sylv. in ver. *excommunicatio 2. numero 12.* & locus exemptus est, ubi praelatus illius habet jurisdictionem Episcopalem, D. Anton. *3. par. titul. 24. cap. 63. §. 1.* ut verbi gratia, est Abbatia sancti Angeli ad Fasanellam, sita intra diocesim Caputaquensem, & quando Archiepiscopus possit

21  
 possit punire subditos sui suffraganei, vide Abb. *in cap. ex parte, de institutis. Bal. in margar. Innoc. in ver. Archiepiscopus.* ceterum, cum Archiepiscopi hodie non possint visitare provinciam, nec pontificalia exercere, solum eis remansit crux, & mozeta, quia possunt per totam provinciam crucem & mozetam portare, de primo vide Sylvest. *in ver. Archiepiscopus, num. 6. §. ult.* de secundo ita habet consuetudo, & vidi observari in multis Archiepiscopatibus, vide Abb. *in c. antiqua, n. 7. & 8. de privil.* ubi tractat de causa etiam Episcoporum: sed an possit concedere indulgentias per totam provinciam, videtur quod sic, *c. nostro,* & ibi Abb. *num. 1* sed non videtur posse per dictum Conc. Trid.

## ARCHIVIUM.

**A**rchivium. Circa hanc materiam dico primum, quod sac. Congreg. Card. *declarat. 38.* censuit in hæc verba *Canonici, & beneficiati debent dare notam & copiam authenticam omnium bonorum, ad dictos canonicatus & beneficia pertinentium, Capitulo & Archivio cathedrali, ut eas reponere & servare possint in illo,* & in multis visitationibus, quæ passim factæ sunt, & fiunt indies à viris doctis, & piis, vidi hoc observari, ut omnes presbyteri beneficiati registrarent instrumenta, & inventaria reddituum, censuum, & aliorum, quæ possident sua beneficia, & afferrent copiam authenticam ad ipsum Episcopum, & originale remaneret penes eos, quæ registrarentur in lib. quodam magistrali, perpetuò

conservando in Archivio cathedrali, sub hac forma: *Ecclesia N. possidet petiam terræ, sive domum suam in loco N. propriè, ubi dicitur N. juxta bona N. & N. relicta à quondam N. Vel emptam ab N. uti patet instrumento confecto manu notarii N. sub die N. mense N. anno N. & redditum pro ducatis, N. aut pro modis frumenti, olei, vini, ac aliorum singulis annis dictæ Ecclesie N. & de hoc saluberrimum bannum exiit ex ordine sanctissimi Domini Sixti V. sub anno Domini 1588. die 14. mensis Septembris. Pontificat. sui anno 4. quo præcipitur, ut omnes notarii, per terras Ecclesie Romanæ, eique immediatè vel mediatè subjectas, afferre debeant omnes scripturas quorumcumque contractuum, quos fecerunt, in termino quindecim dierum, à die confectiois ipsorum, ad archivium erigendum in singulis terris prædictis, mediante salario præfixo, prout ibi.*

Secundò dico, quod est necesse in omnibus cathedralibus, ut fiat registrum omnium Bullarum beneficiorum, & ordinatorum ad ordines ecclesiasticos, & sic servatur in omnibus cathedralibus bene firmatis, ut in *c. quoniam contra, & c. cum causam, & ibi gl. de probat. & serè per totum tit. de fid. instru. & c. ad audientiam, de prescr. & ibi serè per totum, & in tit. de privil. & Clem. unica, de iurejur. & ibi gl. in verb. archivium, & ibi Abb. n. 20. vide Conc. provinc. Benevent. celebratum sub Cardinali Sabello Archiepiscopo, in *c. de catast. bon. Eccles.**

Sed an Scripturæ registorum faciant fidem, vide Innoc. in *c. 1. de procur.*

AR-